

Q. F. F. Q. S.

DISCURSUS INAUGURALIS
De

FABULIS PHILOSOPHORUM,

Quem

Divina adspirante Gratia,

Adprobante Amplissima Facultate Philosophica in
Regia ad Auram Universitate,

SUB MODERAMINE

Amplissimi atque Celeberrimi VIRI

Mag. HENRICI HASSEL,

Eloq. Prof. Reg. & Ordin.

Facult. Philos. h. t. Decani spectabilis
IN ~~nugatorum~~ HONORUM ACADEMICORUM

Cordatorum & recte sentientium estimatorum
censura sifit

NICOLAUS I. TAMMELIN,

Ad diem Nonar: Junii Anni ~~christianae~~
MDCCXXXII.

In Auditorio superiori & Maximo,
horis ab octava antemeridianis.


A B O Æ,

Excud. Reg. Acad. Typogr. Joh. Kiämpe.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS

- §. I. Experientiam unicum esse fundamentum cognitionis humanae de existentibus affirmat.
- §. II. Quid per Experientiam designatum velimus indiget.
- §. III. Mentem humanam experientia percipi afferit.
- §. IV. In quantum cognitio Dei experientia nitatur offendit.
- §. V. Mundum experientia cognoscere probat.
- §. VI. Neglectum experientia, generalem esse causam fabularum Philosophicarum, statuit, addita pravia illarum descriptione.
- §. VII. Exempla fabularum de mente humana adducit.
- §. VIII. Exempla fabularum Deo profert.
- §. IX. Exempla fabularum de Mundo persequitur.
- §. X. Ortum Philosophia fabulosa orientalioris populis attribuit.
- §. XI. Ab his illam ad Gracos transiisse contendit.
- §. XII. Inde ad Romanos transmigrasse indicat.
- §. XIII. Eandem, temporis successu, per Europam dispersam fuisse dicit, Exemplis id ulterius confirmans.
- §. XIV. Inter causas particulliores Philosophiae fabulosa primum locum ambitioni assignat.
- §. XV. Secundaum levitati ingenii humani eribuit.
- §. XVI. Tertium defectui subdiorum in Scientia praecipua nullari vindicat.
- §. XVII. Inconstantiam Philosophiae fabularis comonstrat.
- §. XVIII. Contra scientie experimentalis constantiam proponit.
- §. XIX. Exiguum esse Philosophia fabularis usum in vita Civili innuit.
- §. XX. Presenti tempori gratulatur, quo scientia ex genuinis Principiis diligentius derivari cœperunt, tractatiuncula finem imponens.

§. I.



In Nomine JESU!

§. I.

MEns quidem humana illis instruta est viribus, quibus veritates generales percipere, unam ex altera derivare, & plures justo ordine disponere valet; quod, ut Metaphysicas jam prætereamus subtilitates, ex Arithmetica & Geometria, ac longa, quam haec scientiae exhibent, conclusionum serie, evidentissimum est; ad has quippe veritates inveniendas sola attentio, ad ipsam earum naturam, & mutuum, quibus junguntur, nexus, requiritur, nec ullo præterea fulcro nituntur; Et licet in his proficere cupientibus externa plerumque adjumenta inserviant, illis nihilominus certitudo earum superstruenda non est, quæ ex clara tantum ac distincta perceptione dependet: Cognitio tamen rerum par-

A

particularium ideali tatum evidentia adeo non absolvitur, ut si recte comparata erit reale in primis fundamentum presupponat, quod aliud esse non potest, quam ipsa experientia.

§. II.

Per experientiam intelligimus non tantum observationem eorum, quae sensus tam interni, quam externi nobis representant, verum etiam ad curatum observatorum examen, quod secundum illas insituendum est regulas, quas vel ipsa ratio ostendit, vel usus & exercitatio suppeditat, vel ars ex utroque conflata subministrat. Nec enim dubium, quin scientiae ex ratione tantum prognatae, faciem preferant observationi, eademque dirigant, prout & que certum est, inter observandum occurrere, quae viam faciliorem juxta ac tutiorem rationi commonstrant. Miserum inter Philosophos dissidium, ubi nonnulli solam rationem ad quaslibet veritates investigandas sufficere dicunt, observatione ideo proscriptam, quod fallaci sensuum ministerio decipiatur; quidam sensualēm perceptionem unicam veri numeriam agnoscunt, rationem ad veritatem prorsus cali-

caligare affirmantes. Tanta vero est harum necessitas & tam arcta inter utramque conjunctio, ut neutra sine ope alterius suum faciat officium. Absq; rationis moderamine, observatio ne intelligi quidem potest, cœco prorsus impetu in erronea quælibet prolapsura. Ratio observatione destituta figura tantum progignet & umbras pro corpore captabit. Ubi vero mutuam tradunt operam & suas utraque vires intendit, vera demum ac mascula experientia inde exsurgit, ex qua tanquam unica scaturigine quidquid de rebus vere existentibus scientiae Genus Humanum possidet, propullulat atque promanat.

§. III.

Omnis illa cognitio, quam de mente nostra, ejus natura, facultatibus, operationibus & variis operandi modis, habemus, observationi eorum, quae intra suum ipsius sinum peraguntur, accepta refertur. Unde enim exploraremus intellectus vim, simplices ideas vel formantis, vel a sensibus oblatas contuentis, & cum aliis conseruentis, nisi mens actu reflexo ad hæc sua negotia adverteret diligenter. Unde perciperemus,

quomodo mens, deprehensā duarum vel plurium notionum convenientiā, eas connectat, observatā rursus earum cōtrarietate & repugnantiā, se jungat atque separat, nisi eadem nos instrueret attentio? Quæ foret via investigandi processum, quo utimur, veritatem ex veritate, una vel pluribus ratiocinando deducentes, si mens in semetipsum conversa, suum agendi modum non animadverteret detegeretque? Nec denique aliter discimus, quo artificio mens plures veritates multiplici consequentiarum partu propagatas, naturali quadam serie ordinet, quam ubi ad hæc sua opera, ipsa intensiori oculo respectat. Sapienti proinde consilio factum, quod recentiores, qvi vitas hominum, ingenio & doctrina præstantium, scriplerunt, non solum inventa eorum exposuerint, sed hoc insuper operam dederint, ut aliis constaret, quid illos primum in hanc vel illam cogitationem deduxerit, quæ frustra tentaverint, & quo demum modo successerint destinata. Vires præterea ingenii humani non alii rectius æstimare valent, quam qui scripta tam veterum quam recentiorum diligenter perolvunt, prima scientiarum incunabula ultima

tima ex antiquitate repetunt, & incrementa eorum successiva sedulo expendunt. Clarius ad huc lux adfulget, ubi eadem vestigia legentes scientiam humanam inquirimus, prout ipsa præxi operosa in variis artibus ad vitæ necessitatem & ornatum directis sele exerit; quas parvis ex initiis ad præsentem perfectionis gradum projectas justa attentione scrutantes, veri solidique judicii certissima inveniemus documenta. Quid dicam de negotiis humanis, circa quæ omnis & publica & privata prudentia occupatur? In his eo magis ingenii nervos intendere solent mortales, quo certius sibi persuadent, recte aut secus agentes prospera vel adversa plerumque comitari; quæ fida historicorum enarratione suis cum causis & circumstantijs explicata, luculentiter in primis ostendunt, humana quo usque sagacitas progrediatur. Hi sunt fontes ex quibus cognitionem intellectus humani derivare oportet, quos ex unica experientiæ scaturigine existere vel mediocri utentibus attentione lucide apparet. Quod si ad alteram illam facultatem, quæ diversas expetimus eligimusque, nos convertamus, voluntatem nimis, qvæ de intelle-

Etū diximus, hic quoque locum omnino habebunt. Ejus namque virtutes & vitia aperit intima illa sensatio, quæ nobis præsentissima, ut testis admodum idonea, animæ nostræ indicat operationes. Inter ejus virtutes palmaria est perennis illa propensio ad appetendum bonum, eademque, & quo ad extensionem ac intensi nem, in tantum prorsus interminabilis, in quantum nulla in re finita perfecte adquiescere potest; sed quæ ideo si recte ibi consulat, ad infinitum vel insita quadam vi sele ex porrigit, vel frustraneo in aliis plenam felicitatem quærendi conamine lassa, ad hunc tandem ceu tūtissimum se recipit portum. Vitiorum tēterri mūm est philautia, omnium fere cupiditatum genetrix, in primis trium vitiorum cardinalium secunda mater, ambitionis, nempe avaritiae, & voluptatis, ex quibus plurima illa mala, quibus humana adfligitur societas originem ducunt. Quemadmodum vires intellectus humani Historia illustrat, ita indolem voluntatis, eadem vita Magistra, actiones hominum bonas & malas commemorando exponit. Et quæ de voluntate humana traduntur, in tricas plerumque ac inut

inutiles abeunt subtilitates, nisi ejus naturam pro diversitate ingeniorum multifariam variantem, accendentibus aliis caussis propemodum infinitis, vel propria vel aliena manifestaverit experientia. Experiens, quæ jam de primariis hominum facultatibus adduximus, facile judicare licet, quid sentiendum sit de hisce, quæ illarum imperium merito agnoscere debent. Variæ quidem corporearum rerum species, vel sua sponte, vel de industria, à nobis provocatæ obveniunt, eorum, quæ sensus obiciunt simulacra, & quæ modo sine ulla commotione nobis obversantur, modo certos affe ctus comites habent: has tamen imagines, mens arctissimo scđere corpori unita, tanquam ē specula observat. Vix illa Philosophiæ pars magis hominum ingenia torsit, quam doctrina de affectibus, in quorum definitionibus ac divisionibus explicandis, vel numero determinando adeo sudarunt, ut pauci admodum hic inter se cōsentire deprehendantur: verum qui simplicem consulere experientiam, & juxta adverte voluerit, quibus de caussis, & quomodo singuli eorum oriuntur, quid circa illos tam animo

animo, quam corpore, eveniat, & quo pacto se-
dentur componanturque, illam de his scien-
tiam comparabit, ultra quam, an assurgere li-
ceat, justissima dubitandi occasio subnasci vide-
tur. Quare etiam vetustissimi scriptores Chara-
cteristici, qui missis frustaneis speculationibus,
indolem humanam sola observatione inquisive-
runt, ea protulerunt, quae rationem ferre valent,
& aliorum inepte sedulam longe exsuperant sub-
tilitatem. Ut itaque copiosius argumentum
intra limites instituti concludam, hac brevitate
dicenda perstringere juvabit: Philosophi quidem
veteres ac recentiores mentis humanæ essentiam
singulari contentione investigarunt, suis quilibet
opinionibus & sententiis ad blandientes, verum
non dum longius procedere licuit, nec spes est
in posterum ulterius deventuros fore, quam
quod sit natura, quæ cogitat, intelligit, vult,
sentit, imaginatur, affectus excitat recipitque,
in qua omnes actiones & passiones existunt,
quas in nobis ipsis advertimus & observamus.

§. IV.

Quemadmodum Deum nullo sensu, vel exte-
riori, vel interiori, immediate percipere
possumus,

9
possumus, & entis illius infiniti cognitio reale
aliqvod fundamentum postulat, ex rebus crea-
tis illam derivandam esse quilibet facile judica-
bit. Quum autem mentis nostræ existentia, or-
dine philosophantibus, omnium primo nobis in-
notescat, ex illius attributis & actionibus ad
notitiam supremi entis est deveniendum. Has
ubi finitas esse juxta advertimus, quod existat
aliqvod infinitum inde colligere pronum est.
Nam finitum, sine præsupposito infinito, ne
cogitari quidem potest. Tum enim foret a se
ipso, adeoque infinitæ durationis, quod si rei
finitæ tribueretur, manifestam involveret con-
tradictionem. Unde adparet hominem habere
in sua ipsis mente sufficiens fundamentum, cui
cognitionem existentia Divinæ superstruere va-
let. Verum ubi ad mundum spectabilem se
convertit, quot in illo res contemplatur, tot
invenit Divinitatis vestigia. Mundum finitum
esse, sine prolixa argumentatione demonstrari
posse, non dubitamus. Singulæ enim partes &
maiores & minores quoad magnitudinem &
vires operandi sunt determinatae, adeoq; fini-
tæ deprehenduntur. Quod autem ex finitis

B

pon-

nonnisi finitum exsurgere queat, per se evi-
dens esse arbitramur. Hinc etiam ex ipsa fi-
nitate mundi, existentia infiniti auctoris certissi-
mè concluditur. Artificiofissima structura, & sa-
pientissima partium dispositio, qvam in minu-
tissimis quoq; vel sagacissimi mortalium stupent,
infinitam Creatoris sapientiam explicant. Sub-
ordinatio illa caussarum continua, & omnium
rerum ad universi & singulorum, qvæ in illo
comprehenduntur, conservationem conspiratio, bo-
nitudinem auctoris illustrat. Quid multis? o-
mnes omnium ætatum Philosophi in hoc con-
sentient, qvod ex contemplatione mundi co-
gnitio Dei sit petenda, Sacra idem pagina
pluribus in locis confirmante. Ubi vero no-
tiatiæ Dei experimentalem esse affirmamus, hoc
non eodem modo accipiendum, ac de aliis
rebus, qvas experientia percipi statuimus. Il-
la enim scientia per observationem imme-
diatè adqviritur, hæc (de Deo nimirum) per
cognitionem aliarum rerum experimentalem
comparatur.

§. V.

Probato, mundum esse finitum, unde se-
qui-

qvitur eundem non existere à se, sed ab alio,
ejus contingentia inde certissime evincitur, qva
non aliud volumus designatum, qvam qvod
esse & non esse, & variis modis potuerit fa-
bricari. Qware licet jam in mundo magna
conspiciatur necessitas, id est constantia rerum
naturalium in essentiis & operationibus suis;
hoc tamen non impedit, qvo minus ut libe-
rum liberrimi Creatoris opus æstimari debeat.
Quemadmodum Architectus vario artificio do-
mum extruere valet; Artifex diversa opus ra-
tione efficere: & Conditor Civitatis hanc vel
illam regiminis formam eligere, & varia intro-
ducere instituta; ita universi auctor, pro infini-
ta sua sapientia, ipsam rerum naturam multipli-
ci varietate instruere potuit, & qvod hoc &
non alio modo mundum condiderit, puro ejus
beneplacito tribuendum. Qvis sibi persuaderet
& Solem, & Stellas, & Planetas terramq; alia
magnitudine motu & distantia produci non
potuisse & conservari, qvam qvæ nunc illis est
assignata, ut tamen inter se & cum toto uni-
verso exactissimam servarent harmoniam? Idem
tenendum de Mineralibus, Vegetabilibus, Anima-
libus

libus, & quārumlibet rerum viribus operationibusq;. Qvare inter caussas & effectus naturales, hoc respectu, necessarius nexus non datur; nec ullus est effectus, qvi aliis ex caussis existere non potuisset. Qvum itaq; mundus caussam habeat liberam, adeoq; considerandus sit, ut aliæ res, qvæ à liberé agentibus proficiuntur: manifestum evadit, ejus cognitionem qværentibus, illam ingrediendam esse rationem, ad qvam harum notitiam sectantes attendere solent. Qvis autem adeo foret absurdus, ut plura de iis cognosci affirmaret, qvam, qvæ per vestigia observationis & experientiæ inveniuntur? Quidqvid vel publica vel privata industria geritur vel olim gestum est, in tantum exploratum habemus, in quantum vel ipsi adsumus, vel fidem seqvimur aliorum. Sic imperiorum ortus, progressus, fata, variae mutationes, earumqve caussæ & quālibet humana negotia, nostram in cognitionem deveniunt. Qvare non magis audiendi sunt, qvi neglecta experientia, mundum suis speculationibus metiuntur, qvam si quis de statu Chinæ vel Japoniæ, sine prævia fide historica, hic incœperit

philoso-

philosophari. Respiciamus modo ad ipsa scientiarum incrementa, & dubium omne evanescet. Si consultantur Astronomi, qvidqvid de systemate mundano, syderum magnitudine ac motu norunt unquam, observationibus referunt acceptum. Speculæ observatoriæ, publicis sumtib⁹ exterræ, necessitatē observationum Astronomicarum, ipsis qvoqve Principibus, perspectam fuisse ostendunt. Si Medicorum sententiam audire placeat, nec illi diversas à nobis partes tuebuntur. Nam de structura corporis humani, variarumque ejus partium figura, situ, motu, usibusq; se non alia scire fatebuntur, qvam qvæ, cultello Anatomico viam ad interiora Microcosmi parante, ipsi oculis usurparunt. Qvod de temperamentorum varietate, morborum caussis, symptomatis signis, & aliis huc pertinentibus, exploratum habent, pertinaci in observingando diligentia tribuendum. Nec aliter sentire convenit de illis, qvæ ex triplici naturæ regno, in subsidium humanæ infirmitatis aduantur, crebra & multiplici observatione vim & usum Medicaminum confirmante. Qvod si ulterius inquisiverimus, cur tantum incre-

increverint scientiæ, non minimam sibi vendicant partem ipsa observationum instrumenta, singulari nostri temporis felicitate, vel reperta, vel ad majorem perfectionem perducta. Astronomiam altius evexit ars poliendi vitra, non ita pridem adcuratius excoli cœpta; oculo qvippe armato plures jam visuntur stellæ, novique planetæ, qvos omnis ignoravit vetustas. Anatomiæ ulterius provexit inventum Microscopiorum, eadem ex arte prognatum, qvibus partes, ob parvitatem oculorum aciem fugientes, non tantum in animalibus, sed aliis qvoqve rebus, conspiciuntur. Geographiæ terminos amplificavit pyxis nautica, qvæ per vastum Oceanum in remotissima loca iter ostendit, novosqve aperuit orbes. Quid? qvod Mathesis ac Chymia, ut instrumenta & subsidia sint consideranda, qvibus ad ipsa naturæ arcana observando penetratur. Qvædam casus & fortuna objecit, nonnulla qværendo invenit industria; eadem nihilominus est natura, qvæ modo sponte, modo artificio pellecta, modo vi expugnata suos mortalibus aperit sinus. Sed ne podium in scirpo qværere videamus, res in-

com.

compendium redigenda. Quidquid scientiæ genus humanum comparavit, de mundo, partibus ejus majoribus minoribusqve, quidquid de stellis ac planetis, quidquid de globo terraquo, de terris & maribus & qvæ vel insæ continent, vel sua exhibent facie, quidquid de humanæ industriæ effectis operibusqve, & ut verbo dicam, quid rebus naturalibus & artificialibus unquam cognovit, id observatione & experientia duce, exploravit, didicit, percepit,

§. VI.

Ubi itaque homines ab illo abierunt fonte, ex qvo omnis vera scientia de rebus ipsis, earumqve attributis derivari debuit, suis indulserunt speculationibus, nec rerum indolem consuluerunt, sed fœcundæ se commiserunt imaginationi, aliud fieri non potuit, quam ut loco genuinæ veritatis, varia opinionum monstra ac portenta ederent protruderentqve. Quot hinc falsa & imaginaria principia, quot erroneæ conclusiones, quot denique figmentorum

torum cumuli extiterunt? Hæc fabularum compellatione merito notanda esse arbitramur; narrationem quippe fictam fabulae nomine venire notissimum est, quum vera alicujus facti explicatio historia nuncupetur. Per fabulas itaque Philosophorum intelligimus illas sententias, dogmata & placita, quæ vel de Deo, vel de mente humana, vel de mundo, sine prævia observatione, vel etiam erroneo, circa observationem, iudicio, suo ingenio excogitarentur. Larga talium fabularum messis, tam apud antiquioris quam recentioris ævi Philosophos, inventur. Quin ausim dicere maximam Historiæ Philosophicæ partem in illis recensendis esse occupatam. Quare Herculeus foret labor, limites instituti nostri longe transgrediens, plenam horum figmentorum historiam describere, quod juncta plurium opera, abundantि librariorum suppellectile instructorum, ægre præstari, viri docti dudum censuerunt. Nostrum itaque erit, nonnulla tantum exempla ex Philosophia veteri & nova adducere, unde de reliquis facile judicari potest.

§. VII.

§. VII.

Inter fabulas igitur Philosophorum, primo loco referuntur, vaticia de mente humana commenta. Qibus enim non sufficit cognitio vi- rium ejus & operationum, quas plana ac per- spicua observatione deprehendere licuit, ipsam illius essentiam determinanti, in erroneous pro- no lapsu inciderunt opiniones. Sic alii æthereæ, alii ignæ eam esse naturæ, vel ex subtili qua- dam materia constare dixerunt. Alii corpore- um eidem involucrum addiderunt, vel saltem ejusmodi, quod inter spiritum & corpus medium interjaceret, ut Paracellus & qui e- jus placita sequntur. Præexistentiam anima- rum docuit Plato, quam pluribus inde argu- mentis confirmare sudsarunt discipuli ejus & com- mentatores; quæ sententia, cum aliis Platonicis doctrinis, à qibusdam veterorum Ecclesiæ Pa- trum adoptabatur. Stoici animam Divinitatis particulam in corpus, tangenti ergastulum, de- crusam fuisse, opinabantur. Hoc dogma pluri- mas dejude fanaticas peperit opiniones, unde disidia ac turbæ in Republica extiterunt. Me- tempsycosia Pythagoricam putidum esse fig- men-

mentum quis dubitaret? Inter ingenii lusus, crassum illum Scepticismum, quoque reponimus; aliquas quippe esse intellectus humani vires liquida omnino experientia ostendit. Nec aliter sentiendum de illorum paradoxo, qui liberam agendi facultatem homini denegarunt, eundem in machinam quendam ineptè transformaturi. Quid etenim clarius constare poterit, cuiuslibet in se descendenti, quam, quod non violentius quendam intrinseca, vel interna necessitate, ad agendum propellatur; sed ipse spontaneo excitatus motu, eligat vel averteretur. An Harmonia illa præstabilita, quam acutissimus invenit Leibnitius, huc pertineat, aliis à partium studio alienis relinqimus estimandum. In fabulantium quoque censem veniunt illi, qui modum unionis inter animam & corpus, ac mutui actionum passionumque commercii, immediate inde profluentis, definire suscipiunt, quem nemini ad hoc mortalium innotuisse præstantissimus quilibet Philosophorum ingenuè agnoscit.

§. VIII.

Quo major est Divinæ naturæ sublimitas, per infinitam suam excellentiam rationi finitas prot-

prorsus incomprehensibilis; eo facilius homines in transversum abripiuntur, ubi congenitæ imbecillitatis immemores, vel contra, vel ultra illa de Divinitate testimonia, naturali acumine sapiunt, quæ in rebus comparèt creatis. Non attinet dicere de iis, qui cœca quadam malitia fascinati, existentiam supremi Numinis negarunt, quos & maxima, & minima in mundo, adclamantes indelebili animi sensu, manifesti erroris arguere possunt. Duo alii principia, alterum bonum, malum alterum effinxerunt, originem mali Physici atq; Moralis impio commento compendiosè explicaturi. Mundo Divinitatem quidam tribuerunt, quod placitum, Stoicorum Philosophiam, commendandæ alioquin virtuti, severius intentus, præcipue enervavit. Nec ab hoc crimine imminues fuerunt Chinenses, populus antiquæ scientiarum artiumque cultura celebratissimus, si vera sunt, quæ de Chorago, inter eos philosophantium Confucio, idonei perhibet autores. Hic error maxime capitalis, pluralitatem Deorum a profanis hominibus assertam, potissimum iconam produxit. Varia etenim Deorum nomina, res tantum naturales designarunt, quæ singulari-

gulari polluerunt vi & efficacia, ad inserviendum usibus humanis, ut eruditissimo, de Theologia Gent: opere, Gerhar. Joh. Vossius copiose demonstravit. Hoc indubium habetur, qvi ex paganis sagaciore videri voluerunt, hos talia non aliter intellexisse, opinione de Heroum apoteosi vulgi tantum credulitati relista. Evidens ergo est, opinionem de Divinitate Mundi, ~~πλανητών~~ in quantum à Philosophis admittebatur protulisse. Quid itaque magis fabulosum esse potuit, quam ex rerum naturalium compage, numerosum Deorum ordinem estiformare? Nam ex pluribus figurantibus, quamvis ex uno proveniant falso principio, ubi mutuo se invicem nexus excipiunt, integrum exsurgere fabulam cuiuslibet notissimum est. Hęc luxurianti Poëtarum ingenio postmodum incrustata, superstitionem ex ipsis Atheismi radicibus enatam, & in eundem ultimum resolvendam, in orbem protulit, qua misella mortalium natio, a vera Numinis cognitione avocabatur. Ubi homines otii & voluptatis cupidi, & in his felicitatem constituentes, curas atque negotia ipsi molestas habuerunt, ut Deum, quem sua ex indole estimau-

stimarunt, perfectè beatum esse obtinerent, contra manifestam veritatem, ex naturalibus civilibusque phænomenis exsplendentem providentiam, cum Epicuro impugnare non erubuerunt. Fabulosa quoque est eorum impietas, qvi contra doctrinas de attributis & actionibus Divinis revelatas, argumentis ex ratione desumptis insurgeant. Quomodo enim limitata ingenii vis exhaustiet, quæ infinitæ competunt essentiæ? Neque convenit justitiam Divinam ex modo negotiorum humanorum aestimare. Considerationem finium in expendenda factorum justitia attendi debere certissimum est. Qvis vero mortalium omnes infiniti entis percipit fines? Hinc appareat, quid sentiendum sit de Petro Bælio, aliisque Atheismi atque Naturalismi propugnatoribus, qvi revelationem ideo rident, quia suis, per omnia, speculationibus consentanea non deprehendatur.

§. IX.

DE mundo tantum non infinita prodierunt Philosophorum commenta & fabulæ. Strato Lampsacenus mundum ingenitum esse, & per se ipsum

ipsum vi sua ab æterno exsistisse affirmavit. Empedocles & Heraclitus dixerunt eundem modo generari, modo interire, prout vel amicitia congregaretur, vel dissolveretur inimicitia. Aristoteles mundum ab æterno conditum esse tradidit. Plato & Aristoteles materiam mundi æternam finxerunt. Pythagoras, Plato & Stoici eidem animam tribuerunt. Leucippus & Democritus mundo circumtenderunt tunicam. Thales aquam rerum omnium principium constituit, Anaximenes aërem, Heraclitus ignem, Parmenides ignem & terram, Democritus & Epicurus atomos, & sic alii alia rerum primordia excogitarunt. Pari quoque licentia circa explicandam universi productionem ingenio laxarunt habendas. Pythagoras docuit ex cubo ortam esse terram, ex pyramide ignem, ex octaedro aëra, ex icosaëdro aquam, ex dodecaëdro globum universi. Empedocles statuit primum secretum fuisse æthera, deinde ignem post terram, ex qua in arctum coacta, aqua ebullivit, ex hac aëra exhalasse ac coelum ex æthiere natum, solem ex igne. Epicurus ex variis atomorum, in vacuo agitatione, mundum co-

aluisse

aluisse, absurdè sibi est imaginatus. De cetero, in principiis, ex quibus res naturales constituuntur, & unde illarum proveniunt operationes, tradendis, admodum inter se variarunt; quas opiniones ad triplicem potissimum classem revocari posse arbitramur. Quidam principium quoddam Spirituale statuerunt, quod, cum a his Plato per aninam mundi voluit designatum. Secundum occupant locum, qui notiones quasdam, & Speculationes Methaphysicas, mundo obtrudere laborarunt; quorum pertinet Aristotelis doctrina de materia prima, de materia, forma & privatione, nec non tota quantum occultarum caterva, tutissimum ignorantie refugium. Tertio denique ordine incedunt, qui solum materiae adherent, & ex varia ejus figuraione ac motu, phænomena demonstrare conantur, ut Democritus & Epicurus. Hæc philosophandi ratio experientiam maxime sequitur, adeoque optima videtur; sed juxta observandum Sectatores Philosophiae corporcularis extra limites experientiae sæpe egredi, atque illa de Mechanismo & motibus corporum adferre, quæ nulla explorarunt observatione;

ne;

ne; qvare hi etiam in tantum inter fabula-
tes habentur. Essentias rerum naturalium non
adseqvitur ingenium humanum, nec omnia, qvæ
illis insunt attributa, pluribus eorum mortalium
cognitioni subductis. Abstrusior adhuc est pro-
lixia illa caussarum & effectuum catena, qvæ per to-
rum universum, & singulas ejus partes decur-
rit. Unde illustris Baco de Verulamio notitias
tantum sparsas de hisce dari affirmat, per apho-
rismos rectius, qvam tractatione systematica tra-
dendas. Qui itaque de illis rebus, qvarum
essentiae cum magna proprietatum parte igno-
rantur, & ubi nexus caussarum effectuumque
lateret, saltem in quantum se longius protendit,
ita agere instituunt, ut principia universalia ad-
struant, & ex illis omnia explicent phæno-
mena, idqve tæpe prolixa & continua conclusio-
num serie; næ illi pro corpore scientiæ, suarum
opinionum placitorumque proferunt structuram,

§. X.

Progressiamur ulterius ad considerandum
Philosophiæ fabulosæ ortum & varias mi-
grationes. Iater eruditos dudum obiungit sci-

enit

entias in oriente primum excoli cœpisse, & in-
de in Europam esse transfusas. Nec vetustissima
monumenta dubitare nobis permittunt, qvin
apud Egyptios, Chaldaeos & Persas, viri exsite-
rint, multiplici rerum cognitione insignes. A-
stronomiam & secretiorem Physicam illis pla-
cuisse, recepta plerumq; sententia creditur. Qvæ
vero scientiarum indoles, & qvæ dogma-
tum ratio hic invaluerit, agrè admodum de-
finitur, qvum scripta eorum temporum casus
interceperint, paucis tantum hujus Philosophiæ
reliquiis, aliena, & qvidem græcanica fide, ad
nostra tempora delatis. Quantum vero hinc con-
cludere possumus, Philosophos orientales à fabu-
landi consuetudine non semper abhoruisse ap-
paret, qvod vel inde factum arbitramur, qvia
modum scientias proponendi Symbolicum, in
deliciis habuerunt. Qvum autem non omnibus
illud esset acumen, qvo, ad sensum hisce sub
involucris latitantem, pertingere valerent, pro
nucleo corticem, & pro vera scientia fabulas, sæ-
pe arripuerunt. Nec prætereundum, eosdem,
frequentioribus cum populo Israëlitico commer-
ciis, multa audivisse de Divinitate, origine mun-

D

di

di, spiritibus, aliisque, circa quæ ratio solu-
difficilis se explicat, quæ non satis intellectu
perperam explicuerunt, veritatem Dei in men-
daciū turpiter convertentes. Exempla fabu-
larum ejusmodi apud orientales copiose ad-
ducere facile foret ex Jamblico, Plutarcho,
Kirchero, alisque recentioribus, qui haec magna
industria collegerunt, sed, quum, defectu genui-
norum documentorum, de veris illorum senten-
tiis parum certi nobis constet, ab hac opera
supercedemus.

§. XI.

AD Græcos properamus, gentem fabulandi
licentia maximè notatam. Hi, ut ab or-
ientalibus Philosophiam didicerant, apud quos
copiosam fabularum legetem excreuisse nuper
indigitavimus; Ita genius Magistrorum cum
Discipulis se facile communicavit. Verosimile
eriam est, parabolicum docendi genus, orien-
talibus adeo usitatum, suam Poëtis tractandi
rationem aperuisse, à quibus ipsa etiam argu-
menta sœpe fuerant mutuati. Philosophia vero
Græcanica ad Poëtas incunabula refert, & x-

tate

rate vetustissimos, & magna apud magis popu-
lum auctoritate. Hi quidquid de rebus ve- Di.
vinis, vel naturalibus, vel civilibus erant tradi-
turi, non sine copiosis fragmentis prescripsérunt.
Nec negandum, illos plurimas veritates fabu-
lis induisse; quare ab asperiori eximendi vi-
dentur censura, rectius forte in eos exēcenda,
qui apertum veritatis studium professi, in ejus
locum fabulas substituerunt. Id certe constat,
stylum Allegoricum, in quo luxuriabantur Poë-
tae, non tantum à Philosophis interdum rece-
ptum fuisse, quod vel uno Platonis exemplo
elucescit, parum cetera officiosè de isto ho-
minum genere sentientis, verum etiam quod
principium est, laxiorem, quæcumque pro lubi-
tu dogmata proferendi, licentiam particulari illi-
bus privilegio propriam, in ipsam demum Philo-
sophiam irrecipisse. Haec præterea ad pompam
& ostentationem fuit comparata. Nec tam
de hoc erant solicii, ut simplicem veritatem
assiduo labore, & adcurato judicio detegerent ac
propagarent, quam ut de quibuscumque obve-
nientibus materiis differerent argutè, & copi-
olus argumentorum undecunque petitorum a-

gnen ex tempore producerent. Inter probra etiam pluribus habebatur; aliquis rei ignorantiam fateri. Qum itaque ex communis mortalium conditione adeo plurima ignorarent, ut ne tantum quidem veritatis supppereret, quantum loquacitati eorum fasus faceret, artificium fingendi laborantibus opportunè succurrit. Qvare qui præ ceteris ingenio pollere videbantur, suas aperuerunt Scholas, sectasque condiderunt, varias discipulis doctrinas, tanquam de tripode dictis, imperiole obtrudentes. Nec aliud magis ad famam comparandam idoneum vilebatur, quam propriam placitorum compagem in publicam emittere lucem. Qum exempla tabularum Philosophicarum apud Grecos in antecedentibus exhibita sint, plura cumulare vel ideo supervacaneum videtur, quod in historia Philosophica ubique occurram. Non tamen existimandum in Philosophia Graecorum nihil omnino solidi inveniri; quod assertere temerarium foret. Ut enim mittantur dogmata eorum Moralia & civilia, in quibus egregius prorsus obveniunt, nec ibi defuerunt, qui scientiam & historiam naturalem observatione & experientia provehere laborarunt, quod vel solo

Hyp.

Hippocratis exemplo constare poterit, cuius doctrinas genuini Aesculapii Fili nostro adhuc tempore venerantur.

§. XII.

Quemadmodum Romani à Græcis Philosophiam accep runt, ita philosophandi ratio cum ipsis dogmatibus in Latium transiit. Unde qui indolem doctrinæ Græcanicæ perspexit, quæ apud Romanos præstata sunt, non difficulter percipiet. Hi scripta Graecorum diligenter versarunt, eorum dogmata sibi reddiderunt familiaria, & patro sermone vulgarunt, de illis acres inter se exercuerunt contentiones, & quam à Magistris didicerant opinionum varietatem, servarunt. Pauca omnino de suo addere placuit, sed quorum fundamenta in Graecorum documentis occurrunt, ut eorum doctrinas alii potius induisse coloribus, quam novis ipsis inventis auxisse videantur. Quod autem Romani parcius novas parturierint Philosophias, hoc ideo evenisse arbitramur, quia ingenia, quæ supra vulgum sapere videbantur, crescente imperii magnitudine, lucri honorumque aida, vitam practicam speculativæ prætulerunt,

con-

continuo bellorum, tam civilium quam externorum, strepitu, otium Philosophantium instituto necessarium interrumpente. Forma quoque regiminis Monarchica postmodum introducta, ut Eloqventiam in artem transformavat adulotoriam ita cogitationum Philosophicarum luxuriem adeo castigavit, ut arcta nimis intra spatha constricta, servili quadam torpuerit ignavia.

§. XIII.

Ex indole Philosophiae apud Græcos, etiam de illa judicari potest, quæ seviori tempore, per varias Europæ partes, sese diffudit. Qui barbaris vixerunt seculis Scholastici, Aristotelem sibi in philosophando ducem elegerunt, nec linguam rite intelligebant, nec mentem ubique adsequebantur. Metaphysica imprimis placuit, quia Philosophiae, ad dominatum Papæ, & superstitionem confirmandam directe, maxime convenire videbatur. Universales enim illæ idex, in Lexico terminorum obvenientes, in varias converti formas, & ad quæcunque dogmata pallianda, adhiberi facile potuerunt. Ex hisce, seu telis arancarum, Metaphysicam, Physicam

& do-

& doctrinam quoque Moralem composuerunt. Quidquid in Philosophia sobrium Aristoteles habuit, hi miserè corruperunt, otiosis speculationibus & figmentis omnia onerantes. Quin etiam, post literas in Europa renatas, maxima viguit Aristotelis auctoritas, cui in Philosophia non pauci Monarchicum detulerunt imperium. Nec inde Scholasticorum quisq; vilie omnino evalescere potuerunt, quibus, nescio quid sacri, inesse existimarent incauti. Circa tempora reformationis Theophrastus Paracelsus novam perperit Philosophiam, barbaris & inusitatis vocalibus obscuram, ae doctrinis Pythagoricis, Platonicas & Mysticis refertam. Parmenidis placita revocavit Telesius, calorem & frigus primaentia activa constituens; quibus inde Patricius lucem fluorem & spatiū addidit principia. Cardanus dogmata paradoxa identidem proposuit, quæ ingenium ad superstitionem proclive copiose enitebatur. Campanella omnibus rebus sensum ineptè tribuit, ut Magiam hoc artificio excusaret. Fluddius ex boreali & australi potentia phenomenonorum repetit causas. Ad Magnetum naturæ cuncta retulit Gilbertus, Philosophiam

phiam Stoicam Lipsius, Epicuream Gassendus,
& Platonicam Henricus Morus restituere cona-
bantur, licet non omnium opinionum, qvas ha-
olim foverant Sectæ, luseperent patrocinium.
Inter ævi recentioris Philosophos magnum est
Carthesii nomen, qvi non parum ad hoc præ-
stut, ut nebulae Scholasticæ pellerentur. Hujus
Philosophia, qvamvis in primo ortu, nonnullis
religioni periculosa videbatur; postmodum ta-
men ab hac se culpa immunem adeo probavit,
ut contra Atheismum pugnaturis validissima sub-
ministraverit arma. In scientia naturali eviden-
tissima principia seqvebatur, materiam nimirum
& ejus modos figuræ, situs motusqve. In mul-
tis nihilominus extra limites experientiæ excur-
rit, qvod vel sola ejus evincit Cosmogonia,
qvam fabulosam esse ipse agnoscit. Ejusdem
notæ est doctrina de globulis cœlestibus, vor-
ticibus, materia striata, ut alia prætermittam.
Agmen claudat Leibnitzius, vir acutissimi inge-
nii & vastæ eruditionis, cuius Monadologia ita
fabulae indolem exhibet, ut dubium videatur
an à tanto Philosopho talia serio fuerint probata.

§. XIV.

§. XIV.
Inqvirendum jam in cauſſas, cur homines
experiencia missa, & veritate, qvam inde
deducere licuisset, neglecta, fabulis adeo fue-
rint delectati. Inter has primum sine dubio
locum occupat ambitio, qvæ tot mala & ca-
lamitates non solum Reipublicæ civili, sed lite-
rariæ qvoqve importavit. Hoc vitio laboran-
tes, nulla virium habita ratione, abſtrusissimis
qvibuscunqve perverſilgandis toti incumbunt,
præteritis aliis, qvorum indagatio, & facilior,
& societati humanæ utilior fuisset. Hinc omnes
rerum effentias explicare, & singulorum effe-
ctuum cauſſas tradere ſuscipient, qvarum plu-
rimæ, vel ſagacissima ingenia adhuc latent, &
omnem forte posteritatem latebunt. Suis utiq;
limitibus, & illis ſæpe arctissimis, circumscripta
est experientia humana; sed intra hos adqvie-
ſcere illis minus gloriosum videtur, qvi ple-
nam omnium rerum scientiam venditant; qva-
re miseri Mortales ulnam mensuræ ſuæ addi-
turi monſtroſa adhibent ſubſidia, ultra metas
conditionis humanæ progredi cupientes. Nec
defunt, qvi eo vanitatis proceſſerunt, ut, qvæ

E

alii

alii evidenti observatione ante perceperant, ideo parvi pendant, qvod suæ parum satis faciant ambitioni, ea tantum sectantes, qvæ à se repertu nova & inaudita æstimabuntur. Insigne proinde ad famam gloriamque compendium plurimi habuerunt, ex novis principiis varias doctrinas derivare & propria exstruere systemata, qvæ sui postmodum sectatores exciperent, propagarent, & contra qvoslibet impugnatores assererent defendenterentqve.

§. XV.

Opus præterea est maximi laboris & invicem constantiæ, in ipsam rerum naturam attentionem defigere, & illam semper ingredi viam, ad investigandam veritatem, quam ratio, & diversa objectorum indoles commendat. Quemadmodum homines ad metas, libertati suæ à legibus positas, transgrediendum, congenita plerumqve inclinatione propendent; ita mortalium ingenia, qvæ in laxiora plerumqve spatia emitti cupiunt, tam arctis se includi terminis, quam qvos ratio observationi innixa, constituit, ægre omnino patiuntur; Quare hisce

hisce, ceu vinculis, ex sua qvidem opinione, molestissimis, liberata, in enormem sepe fingendi licentiam excurrunt. Veritas insuper temporis est filia, nec uno impetu protruditur tota, sed successivo ac difficulti itentidem partu elicetur, qvod præcipue observare licet, circa scrutinium naturæ, cuius arcana ex abstrusis recessibus, tardo seculorum gressu, in lucem producent ususqve humanos. Qvam autem homines moræ impatientes, nec satis temporis impendunt explorandis illis, qvæ labore & assiduitate inveniri possunt, nec exspectant donec causus aliquando obtulerit, qvod diligentia adsecuri nequit, qvid mirum, eos pro legibus naturæ, suas tantum speculationes & fabulas protulisse,

§. XVI.

Quod si ulterius considerare placuerit, cur scientia in primis naturalis tot phantasmatis fuerit onerata, id ex particularibus insuper caussis repetendum videtur. Ad indagandum vires naturæ non tantum acri ingenio & pertinaci diligentia opus est, sed præreqviritur etiam aliarum scientiarum cognitio, inter quas

palmariæ sunt Mathelis & Chymia, prout dum convenerat inter maximos hujus temporis Philosophos, qvi hitce sacris ex professo fuerant operati. Plures autem Græcorum ab his erant imparati. Qvod si qvis in altera earum aliquid profecit, alteram plerumque ignoravit, qvum tamen auxiliatrices sibi invicem manus porrigit, & mutua sæpe indigeant ope. Ubi vero homines hisce tam necessariis admiculis destituti, non tantum particulares aliquas doctrinas de rebus naturalibus proponere, sed integra systemata Physica condere sustinuerunt; qvid ab illis præter ineptias potuit expectari? Nec unius vel optimum ingenium, vel maxima attentio cum singulari affiduitate conjuncta, tanto negotio sufficit, qvod inter plures divisum singulis amplissimum aperit campum, particulares naturæ & industriae dotes exercendi; quemadmodum præter doctos, ipsi Principes nostra hac ætate observarunt, qvi eum in finem integras instituerunt societates. Qvare facilis est conjectura, qvid præstiterint, qvi suis duntaxat ex placitis, totum hujus scientiarum corpus exstruxerunt. Huc denique accedit qvod,

ad

ad expiscandum naturæ arcana, maiores sæpe exigantur sumptus, qvam qvos privata suppeditare valet, liberali populorum cura largius subministrandi. Quantillum vero ad hoc efficeret tenuis Philosophorum res familiaris, qvorum pluribus pallium & barba insignium juxta ac facultatum loco fuerunt.

§. XVII.

Quemadmodum hæ fabulæ in cerebellis Philosophorum enatæ, cum ipsa rerum indeole nihil commercii habuerunt, ita nec aliud illis inconstantius suisse reperitur. Ubi qvis Systema ejuscemodi fabulosum excogitavit, idemque in publicum protrusit, statim nonnullos invenit Sedatores, qvi novum fœtum lambere non intermittunt. Hi, qvod primus Auctor ediderat, vel commentariis illustrant, vel in aliam doctrinæ formam transmutant, & qvocunque modo expoliunt ornantque. Supervenientibus vero aliis, qvi aliquid suis hypothesis minus consentaneum ibi ostendunt, qvosdam à se diversa sentire & scribere stomachantur, & hoc statim contrariis scriptis exagita-

re

re incipiunt. Nec mora classicum canitur, & arma ab utraqve parte induuntur. Quid? qvod accedant insuper auxiliariæ cohortes vel mercedis vel gloriæ tantum caussa militantes. Nec enim dubium, qvin multi certaminibus celebrium virorum se ingerant, ut hoc modo alijs innotescere queant. Qvamvis impetus pugnantium aliquando languescat, bella tamen ideo non ante finiuntur, qvam alia materia litis existat. Novam etenim hypothesis in theatrum nuper productam, diversa etiam studia seqvuntur; qvare qui prius inter se contenderant, in gratiam nonnunquam redeunt, ut junctis denuo viribus alios adoriantur. Qvæ ante maximo in pretio fuerant, hæc paulo post despectui esse incipiunt, eademqve mox revocantur, prioribus iterum exauctoratis. Multa etiam ex antiquissimis delumta, & aliis coloribus induita, publicam adspiciunt lucem, qvibus eadem cum reliqvis fata sunt exspectanda. Nec aliud experientia præteriti temporis conjectare jubet de illis umbris, qvæ nostra ætate in orbe eruditio volitantes, pectora novi cupida, specie subtilitatis percellunt,

§. XVIII.

§. XVIII.

CONTRA, qvæ experientia fuerant detecta per omnem rerum varietatem firma adeo manserunt & constantia, ut ab ætate in ætatem longa seculorum serie ad nostra usque tempora devenerent. Qvod vetustissimi Astronomi observarunt de Syderum distantia, motibus, phasiumqve cauillis, suum adhuc retinent preium, licet plura illis addiderit industria recentiorum. Et qvamvis in designando systemate mundano inter se varient, qvum observationes & illis superstructa ratiocinia vix ad plenam heic sufficiunt certitudinem, ut ut alias aliis magis probabilia videantur; hoc tamen non obstat, qvo minus phænomena ex qvæcunque istarum hypothesis demonstrari queant, instituto illorum satisfacere potest. Sic etiam qvæ antiquissimi historiæ naturalis Scriptores de animalium terrestrium ac aquatilium, mineralium, plantarum, arborum, herbarum, aliarumqve rerum naturalium indole viribusqve, fida narratione tradiderunt, certa sunt ac indubia qvamdiu optimus universi auctor naturam in suo statu conservat. Par est ratio eo-

rum

rum, qvæ Medici olim docuerant de corporis humani structura & constitutione, ac illis, qvæ ad valetudinem conservandam & restituendam faciunt, hæc omnia observatione inventa ac probata & huic & secuturæ, si qva erit, atati se se commendant,

§. XIX.

NEc prætermittenda est consideratio, qvem istæ subtilitatum telæ societati humanae præstiterint usum. Expendantur omnia, qvæ ad necessitatem vitæ, & delectationem, terra aut mare subministrant, spectentur singula artium opera, & quidquid in illis ingenii exhibet acumen. Inquiratur ulterius, qva via & arte, vel naturæ munera, vel industriæ effecta prodiert. Audiantur cuncti, qui suis in cerebellis mundos fabricarunt, & quid inde in hunc nostrum retulerint, despiciatur. Excutiantur omnes de natura doctrinæ, qvæ speciosis ex principiis de promulgatis ipsam ejus compagem ita exponunt, ac si earum auctores, creatrici sapientiæ à consiliis fuissent, Progrediantur in medium Pythagoræ numeri, Atomi Epicuri, anima

anima mundi Platonica, formæ substantialis Aristotelis, vortices Cartesii, & si placuerit monades quoque Leibnitianæ. His inquam, & pluribus ex universa historia philosophica concutatis, perspicue apparebit, in vitam communem nihil inde commodi provenisse. Quidq; qvod plurima eorum, qvibus vel ad victum, vel ad amictum utimur, & qvæ vel necessitatæ nostræ subveniunt, vel ad ornatum ac delectationem faciunt, partim fortuitæ observationi, partim gnavæ simpliciorum hominum, varias artes & opera exercentium, attentioni debeantur. Insciandum vero non est, experientiam, solidioribus scientiis munitam, maxima generi humano procurasse emolumenta. Qvare merito deplorandum, præstantissima nonnunquam ingenia tempus ætatemque irrito labore consumisse, qvæ singulari cum fructu utilioribus curis consecrari debuissent. Qvod si tantum diligentiae adhibuissent, ad colligendum illam rerum particularium scientiam, cuius variæ quasi partitiones variis in mundi angulis paucorum custodia asservantur, qvarum multæ incuria hominum, temporumque injuria interciderunt, si-

F

ne

ne dubio insigne operæ pretium existisset, qvum vita humana multis fruitura fuisset comodis, qvæ jam irreparabili cum danno considerantur. Verum ea mortalium erat vanitas, ut ejuscemodi quantumlibet fructuosa, ceu via & abjecta, alto sperneret superciliosum tantum inherens, qvæ à communibus hominum opinionibus remota, speciem excellentis acuminis prætulerunt,

§. XX.

NOstri proinde temporis felicitati merito gratulamur, qvo viri ingenio ac doctrina insigne, rejectis lascivientium speculationibus, veram solidamque scientiam sectari cœperunt. Nec dubium, qvini fabularis philosophandi ratio, maxima sui parte adeo in contemptum inciderit, ut à paucioribus iteria inter opera habeatur. Qvis ignorat, qvibus Theologiam naturalem fundamentis Boyleius superstruxerit, qvem ingeniosissimorum popularium plurimi aliquique postmodum fuerant imitau? Nec latet profunda Lockii sagacitas in

ipsis

43

ipfis humanæ mentis recessibus excutendis. Vol. fuis quoque, inter acutissimos hujus temporis Philosophos, communi orbis eruditij judicio, dum relatus, licet, in Leibnitziana principia propensiis animatus, nonnulla protulerit, qvo rum ulteriorem adhuc illustrationem docti expectant; in pluribus tamen Methaphysicæ suæ experientiam ut basin substernit. Ex qvo incomparabilis ille Angliæ Cancellarius Bacon de Verulamio, pro singulari, qvo polluit acumine, & candido in societatem humanam adfectu, solide commonstravit, qvibus scientiæ defectibus laborarent, & qvam parum idoneæ essent ad commoda vitæ promovenda; cuius mali originem inde repetit, qvod homines experientiam captivam duxerint, suis ubique speculationibus frena laxantes; ex qvo inquam, Vir illustris, hos naves detexit, & saluberrima subministravit consilia eosdem emendandi, rectioremq; ineundi horum studiorum rationem, nunquam in variis Europæ partibus defuerunt, qui tantum sequerentur auctorem. Nec intra privatam industriam hoc substat negotium, sed ipsas populorum Principiū;

F 2

pumq;

pumqe curas occupavit. Anglia enim pri-
mum societatem condidit, cuius palmarium
eslet opus, experientiae adminiculo, naturae pene-
tralia scrutari. Hujus factum Gallia imitata,
Academiam cultui lingva vernacula destina-
tam, murato consilio scientiam naturalem ar-
tesque eodem tramite provehere voluit. Nee
mora, Alpes transiit exemplum, callida Italo-
rum ingenia ad strenuam emulationem inun-
dens. Unde, quz largo ibi proventu excre-
rant collegia, prater Eloquentiam & Poësin,
quibus antea insudaverant, has quoque scienti-
as impensiori studio excoluerunt. Germani doct*as*
societas & Collegia curiosa pariter condide-
runt. Quid seculi Delicium, Rex noster Augu-
stissimus, de optimarum artium studiis sentiat,
ut singularem illam gratiam, quva Academias
intra Regni sua pomeria olim erectis nou-
tantum pristina confirmavit privilegia & im-
munitates, verum nova addidit beneficia,
& commoda non satis deprædicanda, ut
inquam, hæc venerabundo silentio præterea-
mus, quo idem Clementissimus Princeps ad-
fectu scientias amplectatur, carumqe incremen-

ta promovere contendat, vel Societas illa Re-
gia, suo non ita pridem auspicio, in hunc finem
consecrata testabitur. Quemadmodum Augu-
stissimus Rex, pace cum vicinis inita, dissitos
quoque populos, unde navigantibus periculum
existere potuisse, amicitia devinxit, ita spem
cives Ixtissimam concipiunt, non tantum ar-
tes atque commercia, sed veras quoque scien-
tias ad publicam privatamqe rem promoven-
dam idoneas, sub hoc nostro Augusto insigni-
bus amplificatum augmentis. Conseruet itaque,
Deus T. O. M. Patrem Patriæ Clementissimum
cum Regina Serenissima! Protegat unctos suos
clypeo gratiæ & virtutis! Succedant dies eorum
in seram usque ætatem ab omni calamitate se-
curi, & omnigena cumulati felicitate, ut sub ex-
optatissimo hoc regimine, aurea sibi secula re-
diisse, Svecia perpetuo gratuletur!

SOLI DEO GLORIA.

